



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S.
Scriptvrae. De Ecclesia Catholica, Et Eivs Pastore
Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum
successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...**

**Torres, Francisco de
Coloniae Agrippinae, 1580**

VD16 ZV 18729

Capvt I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33634

Sophisma Turriani.

Iudaicū est interpretari promissos hic Iudais fuisse post captiuitatem Babyloniam Zorobabilem, Esdram, Neemiam, & alios teste Hieronymo, estq; locus intelligendus de Apostolis, & de ijs, qui per Apostolos Ecclesijs prapositi sunt, relinquatur ergo, vt indices promiserit ecclesia nostra, quales fuerat prius indices illi populi Israelitici; qui non per legem seculi, neq; per suffragia populi, nec vllius magistratus auctoritate creabantur, sed sicut scriptum est in libro Iudicum, Deus suscipit ab eis, & erat cum eis, & liberabat populum; sic enim beatus quoque Basilius in commentarijs Esaia intellexit. Episcopi autem sunt indices Ecclesiarum; & presbyteri sunt Episcopi consiliarij. Sic mea recitasti, vt soles, mutilatè.

Solutio superioris Sophismatis.

CAPVT I.



AD argumentum ductum ex loco Esaia de Episcopis Iudicibus Ecclesiarum successoribus Apostolorum, & de presbyteris eorum consiliarijs, & adiutoribus in Euangelio promissis, omisis quae Antonius praefatus est, quae ad quaestionem propositam non pertinent, vt ipse etiam fatetur, videamus, quid respondeat. Demus sanè, inquit, ita exponendum esse hunc locum, quid hoc obsecro ad Pontificiorum successione? immò quid magis illi contrarium proferri possit? Videamus quomodo probet hoc Antonius, scilicet, Episcopos, & presbyteros nostros non esse tales, quales Dominus per Esaia promissit; quia, inquit, futuros illos iudices comparat Dominus cum argento purissimo, quales non sunt Episcopi Pontificij & presbyteri. Probet itaque Turrianus, Episcopos & presbyteros Ecclesiae Romanae veros legitimosque pastores, & rectè, fideliterque obire munus suum; ac tunc demum licebit per nos hanc Esaiae prophetiam ad eos accommodare. Primum quod ais futuros illos iudices comparari cum argento purissimo, vt si non sint tales, ne iudices quidem opinione tua sint, falsum est: non comparantur cum argento purissimo, ne quod tu falsè putasti, ex ea comparatione efficiatur. Pradicat enim propheta excidium, & incendium Hierosolymitanum à Domino per Rom. allatum, vt Cyrill. & Procopius, & alij interpretantur; vt cum dicit, inducam, siue inferam manum meam in te, & excoquam ad puram scoriam tuam, perinde sit, vt si diceret, inflammabo te, vt tantum, quod purum est in te & sanctū remaneat: Apostolos significat, & alios fideles, qui per spiritum sanctum sunt antea admoniti, vt discederent Hierosolymis, vt ex illa occidione, & incendio euaderent. De eadem re prophetas Zachariae

Locus Esaię
Inferam manum
meam in te, & ex
coquam ad puram
scoriam tuam,
&c.

charias cap. 13. & inducam, inquit, siue inferam manum meam in pastores: & erit in die illa dicit Dominus, due partes peribunt, & deficient; & tertia pars relinquetur in ea; & ducam tertiam partem per ignem, & vram eos, sicut vritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum. Quem locum explanat Cyrillus his verbis è Græco translatis. Ad bellum Romanorum refert, quo sunt illi mali pastores cum multitudine, quæ eos sequebatur, cõsumpti, vix reliquæ saluæ, quæ intelligi possunt velut tertia pars Dei misericordia seruata, sicut alio loco dicit Esaias, nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, &c. sic reliquæ saluæ factæ sunt per fidem, quæ igne tentationum, & persecutionum probatæ sunt, in quibus reliquæ probatissimi omnium fuerunt discipuli. Hactenus Cyrill. Quis non intelligit, cum dicit propheta *וְאֶזְעָם*, id est, inferam manum meam in te, quo verbo vsi sunt LXX. in vtrog. loco Esaiæ & Zachariæ, minari malum, ac proinde secundum consequentiam rei ad malum, quod minatur, pertinere ea, quæ sequuntur? excoquere dico scorum ad purum, & auferre omne stannum, quæ LXX. interpretes diuino spiritu proprijs verbis interpretati sunt. Quis igitur locus relinquitur hic, vt illos futuros iudices, quos præsiciendos esse in Ecclesia dicit, quandiu scilicet Ecclesia durabit, id est, vsq; ad consummationem seculi, cum argento purissimo comparet? siquidem cum argento per ignem liquato, & excocto comparat eos tantum, qui digni fuerunt, vt effugiendo ab illa flamma liberarentur. istos dicit veluti per ignem traiectos, ex quibus purissimi omnium fuerunt, & instar argenti probatissimi sancti Apostoli, quos constituit Dominus principes super omnem terram, sicut ait Dauid, & Iudices cuncti orbis, quorum successores sunt Episcopi, quos in ecclesia de qua prophetat, dicit præsiciendos esse iudices. Episcopi enim sunt iudices ecclesiarum. Deinde non semel, sed iterum, & sapius responsum est tibi, scripturis S. repugnare, & frequenter ab eis hoc Lutheranium dogma damnari, quod tu mordicus tenes, eos qui post ordinationem nõ sunt digni, vt sint episcopi, aut presbyteri, id est, qui non rectè, & fideliter munere suo funguntur, non esse episcopos, aut presbyteros. Responde ad ea, ne eadem mihi repetenda sint. Admonui etiam quam grauius miser pecces, & quam graue iudicium subeas, qui alios contra scripturam iudicas, omnes scilicet Episcopos, & presbyteros Ecclesie Romanae pessimos esse, quod apud honestos, & cordatos tua gentis homines satis esse deberet, vt nullam fidem tibi haberent homini ad maledicendum, & de alijs temerè, & maleuolè iudicandum promptissimo. Pergis deinde cassillari, vt aliquid respondere videaris.

Si illi demum, inquis, sunt ecclesiarum principes, & consiliarij, quos Dominus suscitauit, & rursus ex Turrianica expositione principes episcopi, consiliarij verò sunt presbyteri, profectò nihil

AA 2

video

Collatio prophetiz Esaiæ cum prophetia Zachariæ de excidio Hierosolymitano.

Quid verbū *וְאֶזְעָם* declaret in loco Esaiæ, ex quo efficitur non comparari illos iudices, de quibus propheta uerbat, cum argēto purissimo, vt Antonius somniat.

Quam graue iudicium subeat Antonius, qui omnes Episcopos, & presbyteros Ecclesie Romanae pessimos iudicat

„ video loci Romano Pontifici superesse: cum potius efficiatur ex
 „ argumento Turriani, Pontificem Romanum non esse à Deo sus-
 „ citatum, qui tantum Episcopos, & presbyteros suscitauit. Hic etiam

Quomodo
 Antonius
 videtur ig-
 norare vnu
 esse ordinē
 Episcoporu
 suu maioru,
 in o maxi-
 mi, siue mi-
 norum.

produs insipientiam tuam ignoras enim, vt video, vnum esse ordinem Episco-
 porum. sic enim ait S. Anacletus in epist. 3. Episcoporum vero vnus ordo est, licet
 sint primates illi, qui primas ciuitates tenent, qui & in quibusdam locis patri-
 archa à nonnullis vocantur: illi autem, qui in metropoli à B. Petro Apostolo,
 ordinante Domino, & à predecessore nostro predicto S. Clemente, seu à nobis
 constituti sunt, non omnes primates, vel Patriarcha esse possunt, sed illa vrbes,
 quæ præfatis, & præcis temporibus primatum tenuere Episcoporum, Patriar-
 charum, aut primatum nomine fruuntur, reliquæ verò metropoles, Archiepi-
 scoporum, aut metropolitanorum, & non Patriarcharum, aut primatum vtan-
 tur nominibus. Hactenus Anacletus, qui te coarguit, qui existimabas non esse

Quomodo
 Antonius
 argumenta-
 tur non esse
 relictu locu
 in pphetia
 Esai. de Epi-
 scopis iudi-
 cibus eccle-
 siarum, quia
 in esse Pon-
 tificem or-
 dinis Epi-
 scoporum.
 Quomodo
 in prophe-
 tia Esaiæ de
 iudicibus,
 primum lo-
 cum habet
 primus &
 summus iu-
 dex, qui est
 Episcopus
 Romanus.

ordinis Episcoporum Pontificem Romanum, vnde argumentaberis non esse ei
 relictu locum in prophetia Esaiæ. Non audisti millies à nobis vocari Episco-
 porum Romanum? à Tertulliano Episcopum Episcoporum? Quomodo autem dici
 poterat Episcopus Episcoporum, nisi Episcopus esset? si igitur Episcopus est, reli-
 ctus est ei locus in prophetia de Episcopo futuris principibus, & iudicibus eccle-
 siarum. qui enim princeps est omnium Episcoporum, locum, & quidem primum
 habet in Episcopis, quorum primatum tenet. Immo qui dixit, præficiam prin-
 cipes tuos siue iudices tuos sicut à principio, vnum in eis primum præficiendum
 esse non obscure significauit, qui esset inter omnes vnus in ecclesia ad tempus iu-
 dex, sicut in illis iudicibus populi Israel fiebat, vt vnus esset summus iudex vni-
 uersi Israel, qui à Deo vocabatur. sic enim de Episcopo Romano scribit E. Cyp.
 in epistola ad Cornelium libro 1. nec enim, inquit, aliunde hereses oborta sunt,
 aut nata sunt schismata, quam inde quoddam sacerdoti Dei non obtemperatur, nec
 vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.
 In iudicibus itaq; præficiendis vnus primus comprehensus est, vt cum ait Paulus
 in epist. ad Cor. 1. 12. & quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primum qui-
 dem Apostolos, & c. Petrum principem Apostolorum in apostolis comprehendit.

Quo ipsa
 scriptura
 iudicium men-
 dacium An-
 tonij coar-
 guit, cum ne-
 gat succes-
 sionem iu-
 dicum.

Dicis deinde, hoc exemplum iudicium Israelis euertit, quicquid
 hactenus disputatum est de ordinaria successione, quæ in illis iudi-
 cibus non fuit immò verbum ipsum suscitandi fati indicat, iudices
 illos non ordinaria quadam successione, sed extraordinaria ratio-
 ne fuisse à Domino ad Ecclesiæ liberationem excitatos. Falsum est
 non fuisse successionem in iudicibus Israel, ipsa scriptura iudicium te mendacij
 coarguit, ait enim cap. 12. post hunc iudicauit Israel Ebesan, qui septem annis
 iudicauit Israel, mortuusq; est, et sepultus in Bethleem, cui successit Abialon, &

cap. superiore 10. huic, inquit, successit Air Galaadites, qui iudicauit Israel per 22 annos. Quin & verbum, inquis, ipsum suscitandi, satis indicat iudices illos non ordinaria quadam successione, vt postea sub regibus, sed extraordinaria quadam ratione fuisse à Domino ad liberationem excitatos. Quis negat, aut dubitat, quin ista iudicum successio, si conferatur cum illa successione sacerdotali filiorum Aaron in Leuitica tribu, aut cum illa regali in tribu iuda, extraordinaria esset? satis est quòd Deus toto illo tempore annorum fere quadringentorum ordinariè suscitabat iudicem populi liberatorem, cum clamabant ad Dominum, sicut scriptum est, et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & c. Immo iratus est Dominus Israelitis, quòd maluissent ipsi eligere regem, sicut alia gentes, quam iudicari à iudicibus, quos Deus vocabat, quoties opus erat, & ipsi ad Dominum clamabant, quamuis pessimi iudices essent: vt quidem erant filij Samuelis, sic enim scriptum est lib. 1. Reg. factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices in Israel, & non ambulauerunt filij illius in vijs eius, sed declinauerunt post aurtiam, acceperunt munera, & peruerterunt iudicium. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntq; ei, ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersa habent nationes. Displicuitq; sermo in oculis Samuelis eo, quòd dixissent, da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem, audi vocem populi in omnibus, quia loquuntur tibi non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, & c. successione ergo iudicum à se instituta, licet vitio, & culpa sua mala essent, volebat Deus, & non illam electionem regis, quam successioni iudicum pratulerunt, Domino contempto, sicut eis dominus per Samuelem exprobrauit, et sicut vobis exprobrat, qui electionem laicam sacra & diuina ordinationi Episcoporum pratulistis, esto, pessimi essent, vt vos calumniari soletis. Apud nos verò, cum ecclesia aliqua episcopum, & iudicem suum amisit, metuens mala, quae ex viduitate sequi solent (sic. n. vocari solet in ecclesiasticis, & canonicis constitutionibus ecclesia pastore suo viduata) ad exemplum illorum veterum clamat, & petit, vt ordinetur sibi episcopus, & ordinatur. Pergit deinde Antonius tergiverfari, & cauillari, si forte possit, vt anguis lubricus elabi, et vocationes ministrorum laicas ac profanas tueri. Quid porro, inquit, vult istud concludendi genus, Dominus suscitabit iudices, sicut prius, ergo Episcopi, & prebyteri, neque per legem saeculi, neq; per suffragia populi, nec ullius magistratus auctoritate creandi sunt, sed sicut scriptum est in libro iudicum, Deus suscitabat eos. Hic non videt Turrianus consequi ex hoc argumento nulla esse adhibenda media ac ne ordinationem

Quomodo successio Episcoporum similis sit successioni illorum iudicum, quos Dominus suscitabat, cum ad eum clamabant.

„dinationem quidem Ecclesiasticam in episcopis eligendis, sed eos
 „semper sine vlla hominum opera & ἀμετῶς excitandos? quod quia
 „ipse Turrianus videt quàm sit absurdum, hoc ipsum minus quam
 „sophisticum argumentum valere iubeat. Si demonstrauero non sequi,
 „quod tu ad refellendum me ex argumento meo sequi dicis, nonne demonstratum
 „erit, te non potuisse me refellere? non sequitur, Antoni belle, Episcopi & presby-
 „teri neq; per legem seculi, neq; per suffragia populi, nec vllius magistratus au-
 „toritate creãdi sunt, ergo nulla sunt adhibenda media, nec ipsa quidẽ ordinatio
 „ecclesiastica in episcopis creandis, sed semper sine vlla opera hominũ & ἀμετῶς

Quomodo
 non sequi
 tur, vt An-
 tonius falso
 putabat, vt
 si Episcopi,
 sicut illi iu-
 dices popu-
 li Israel à
 Deo voca-
 bantur, ipsi
 etiam à Deo
 vocantur
 ἀμετῶς, id
 est, nullo
 medio mi-
 nisterio fiant
 Episcopi.

Quomodo
 gratulandũ
 est Antonio
 quod iam
 concedat
 nullum ius
 habere po-
 pulum, neq;
 magistratũ
 in eligendis
 ministris
 Ecclesiæ.

Quomodo
 quod solũ à
 nobis requirit
 Antonius
 testimoniũ,
 & consensũ
 populi in
 ordinatio-
 nibus, hoc
 præstamus
 abunde.

sunt creandi, non, inquam, sequitur, non esse adhibendam ipsam ordinationem:
 quia ipsa ordinatio, qua fit ab Episcopis per impositionem manuum in ordinan-
 do Episcopo, aut ab Episcopo in ordinandis presbyteris, instituta est à Christo,
 & Apostolis tradita, & per Apostolos nobis, et qui sic ordinatur, sicut à Deo in-
 stitutum est, & traditum, is à Deo, sicut illi iudices, iudex & princeps Eccle-
 siæ, si Episcopus est, creatur; non minus, quàm si sine vlllo medio crearetur. Vbi
 enim totum, quod fit, auctoritate Dei fit, quamuis opera, et ministerium homi-
 nis à Deo institutum accedat, non propria gratia hominis fit, quod efficitur, sed
 gratia Dei. ipse enim est, qui vocat, & consecrat, quamuis per ministerium à
 se alioqui institutum, & dispositum vocet, & consecret. Sic Paulus in epistol. ad
 Heb. nemo, inquit, sibi sumit honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron,
 atqui Aaron vocatus quidem est à Deo per Moysen, qui illum iussu & aucto-
 ritate Dei vnxit; fuitque eius consecrator tanquam minister; consecrator verò
 tanquam Dominus, & auctor, ac præses consecrationis, & vt vocabulo Dio-
 nysij vtar, τελετάρχης Deus fuit. Ostende tu Antoni, traditum esse ab Aposto-
 lis, vt qui non est ab Episcopis ordinatus Episcopus per impositionem manuum,
 sicut Timotheus, possit presbyteros ordinare, vt fiant pastores, & tunc ostensum
 erit, in isto tuo Ecclesiastico coetu, quem dicis, qui ex laicis solum cõstat, ius esse
 ordinandi presbyteros, qui fiant pastores. Sed gratulor tibi, quod iam concedis,
 penes populum, aut etiam penes magistratum non esse ius χειροτονίας, id est,
 impositionis manus. Superest, vt probes, ministros, siue Superintendentes ve-
 stros, vt vocatis, nõ esse meros laicos, vt est populus, & populi magistratus. Hic
 tu, vt quod premitimus de ordinatione, qua penitus caretis, cauillãdo dissimules,
 vertis te ad testimonium, & consensum populi in eligendis & ordinandis mi-
 nistris, & hoc tantum, (ais) à nobis requiri: at nostra etiam ecclesia Antoni in
 ordinãdis testimonium & consensum populi requirit, quod nemo est, qui apud
 nos ignoret, & te ignorare, qui Ecclesias nostras nunquam vidisti, non est mi-
 rum, præsertim cum tanto odio eas prosequaris, vt facillẽ credas, quicquid mali
 in eas à tui similibus dici audis. Age ergo Antoni, si hoc quod de testimonio &
 consensu

consensu populi dicis, tantopere requiritis, & à nobis negligi creditis, considerate vos diligentissimè, qui habeant apud vos bonum testimonium à populo, & quos populus desideret sibi ordinari, & ducite eos ad Episcopos, ut manus imponant. facite, quod sancti Apostoli in ordinandis diaconis fecerunt, nisi vestrum cœtum Ecclesiasticum, quem dicis, plus auctoritatis & iuris à Deo, quam sanctos Apostolos accepisse putas. Excusabis fortasse, quod quiritur Andreas Freyhubius, nolle nostros Episcopos ordinare eos. O querelam testem conscientia cõuicta, & miseris populos, qui cum fecerint aliqui malum in conspectu Domini, & traditi sint in manus Madianitarum, & Philistinorum, id est, demonum, nolunt tamen clamare ad Dominum, & petere, ut per ministerium Ecclesie Catholice mittat eis saluatores, qui liberent eos ab hostibus spiritualibus, sicut illi iudices & Saluatores, quos Deus in Israel suscitabat, quod in figura iudicum ecclesie eis contigit. Quos enim putant se habere, non sunt iudices: neque potestatem acceperunt absoluenti à peccatis, quia non sunt à Deo vocati per episcopum, sed tantum à Martino Luthero solum presbytero, qui ordinare nõ potuit, sicut à sanctis Apostolis traditum est.

Ais deinde, quin & ipsis decretis Pontificijs, aut per imprudentiam, aut ista cogente rei veritate, aut certè summa Dei prouidentia adscriptis apertè constat, non tantum populi testimonium, & consensum accessisse, cum Episcopi eligebantur, sed etiam ipsos pontifices olim fuisse ab Imperatoribus confirmandos dist. 63. can. Agatho. can. Adrianus. can. in synodo. Et tu cogente rei veritate & diuina prouidentia imprudens & nolens auctoritati, & modestie Pontificum Romanorum testimonium tribuisti. Siquidem in illis ipsis decretis à te citatis legisti eam potestatem à Pontificibus ipsis Adriano, & Leone VIII. datam esse Carolo Imperatori; sic enim honorare voluerunt eum imperatorem, qui Italiam à Longobardis oppressam vocatus à Pontifice liberauerat. Erat ne hoc ambitio- nis, quam vos semper Pontificibus Romanis obijcitis? an potius grati animi, & summa auctoritatis testimonium?

At inquit Antonius in sua postrema antiphrasi, quemadmodum olim cum status Israëliticæ politicæ euersus esset, Dominus præter ordinem iudices excitabat, quibus ipse aderat, & per eos miserum illum populum in libertatem asserebat, sic Deus misertus Ecclesie suæ, spirituales quosdam iudices excitauit, id est, pios, & doctos viros, quibus adfuit, ut eorum opera verus Ecclesie status antea collapsus denuò fuerit instauratus. Si à te quæram Antoni, quomodo scis excitatum fuisse à Deo Lutherum patriarcham istorum, quos ducis pios, & doctos viros, quid respondebis? quod signum à Deo datum accepit Lutherus, ut se à Deo vocatum.

Querela
Andree
Freyhubij
testis con-
scientiæ cõ-
uictæ.

Quomodo
Antonius
cogente rei
veritate im-
prudens &
nolens au-
toritati, &
modestie
Pontificum
Romanorum
tribuit te-
stimonium.

Quod signū
à Deo datū
accepit Mar-
tinus Lu-
therus se
esse à Deo
vocatū.

vocatū esse certum & exploratum haberet? Fuit ne signum fieri vbiq; ana-
thema ab Ecclesia Catholica? aut fortissimas, & insignes copias cum principi-
bus Germania Lutheri fautoribus tradi in manus Caroli V. magis animo, &
Dei fiducia quam milite armati? aut spoliari Ecclesias, violari sacras virgines
ipso auctore, & duce incōsto? aut tot sectas Lutheranorum inter se de præcipuis
dogmatibus fidei dissentientiū propagari? omitto bellum rusticorum, quod nulla
temporum vetustas obliterabit, à Luthero seminatū. Gedeon cū vocatus est à
Deo per Angelum, qui apparuit ei, vt esset iudex populi, signum petijt. si inueni,
inquit, gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me. De-
dit signum Dominus, quod scriptura ibidem narrat. Iepetes quoq; tunc intelle-
xit, & credidit se esse à Deo vocatum, vt esset iudex populi, cū sicut petierat,
tradidit Deus in manus eius Moabitas. Si quæram à te, qui hæcenus vsq; à tem-
poribus Apostolorum omnes hereses damnarūt, & deleuerunt, vt leptes Moa-
bitas? nonne respondebis synodos Episcoporum diuersis temporibus, & diuersis
locis habitas? certè, nisi omnes historias, & veterum monumenta ignoras, ita
respondebis. Idem fecit nuper synodus Tridentina, quæ hereses vestras, & sectas,
& confessiones nouas damnauit, & indices delet, licet tibi, quia hereticus es,
contra videatur, quia facile credis, quod cupis. Videtur ne tibi hoc obscurū aut
incertum signū esse episcopos iudices ecclesiarū à Deo vocatos? Si à nobis rursus

Quod signū
nos habea-
mus, iudices
ecclesiarum
nostrarum,
qui sunt
Episcopi, à
Deo vocari.

quæras, quod signum à Deo datum habeamus, iudices Ecclesiarum nostrarum
à Deo esse vocatos; respondebimus signum à Deo datum esse sacramentum or-
dinationis, quod à S. Apostolis traditum est, & testem esse huius Apostolica tra-
ditionis consuetudinem Ecclesia Catholica, quæ ab ipsa traditione orta est, quæ
quidem consuetudo non solum traditione, sed scriptura etiam consistit. Quæ or-
dinationem Timothei Episcopi per orationem consecratoriam cum impositione
manuum Episcoporum factā esse nobis testatur, sicuti vsq; in hodiernum diem
per omnes mundi Ecclesias Græcorum, Latinorum, & Barbarorum fit, sed de
hoc loco Pauli, qui ordinationem Timothei continet, copiosius paulò pōst disse-
rendum erit. Deinde, quia B. Basilium citauit interpretem loci Esa. de iudiciis
præficiendis in ecclesia noui testamenti, sicut tempore iudicum, quia non potui-
sti aliter refellere, aliqua cauillatiuncula eludenda tibi erat Basilij auctoritas,
» sic igitur scripsisti, Quia verò sibi (me dicis) hac in re Basilium quoque
» adiungere voluit, concludamus egregia hac Basilij ad Ecclesiasti-
» cos præfectos cohortatione, ne, inquit, vnusquisque nostrum se
» ipsum existimet, quasi princeps sit, sed quasi consiliarius sit datus
» in populi salutem. hæc ille: quæ vtinam Romanos Episcopos ab
» ambiendo in omnes ecclesias principatu auocare potuissent. Quia
tu hanc sententiam Basilij grauem quidem & salutarem, & magno Basilio di-
gratiss

gnam in Pontificem detorques, quasi eum magnus Basilius notare voluerit, ut intelligas quemadmodum Magnus Basilius agnoscat principatum episcopi Romani in omnes ecclesias, esseq; eum caput Ecclesie Catholicae, & ad eum pertinere omnium ecclesiarum curam, & sollicitudinem, ac debere omnes iudicare, omnesq; ecclesias per legatos suos visitare, lege, qua libro 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei recitavi, ex epist. eius ad Athanasium, item ex alia ad Occidentales, ex alia rursus ad transmarinos, postremo ex epistola ad Episcopos Gallie & Italia.

De testimonijs Magni Basilij pluribus, esse episcoporum Romanorum summum, & primum iudicem Ecclesie Catholicae.

Hactenus responsum est ad cap. 11. libelli tui, & satis, ut arbitror, locus Esaiæ à tuis cauillatiunculis ineptissimis defensus. Ne autem postquam videris occursum esse tuis captionibus, & cauillatorij tendiculis, existimes relictum esse tibi effugium in ijs, quos non pateris exclusos esse omnino ab hac promissione prophetica de principibus siue iudicibus praeficiendis. sic enim scripsisti, ita nolum assentiri ijs, q; liberatione, & reditu ex Babylonia plane excludunt ab hac promissione. Imò penitus excludendos esse, id quod statim sequitur, declarat, quod nullo modo coherere potest cum populo Hebraeo. ait enim, & posthac vocaberis ciuitas iusti siue iustitia, vrbs fidelis: at nunq; Hierusalem ad qua reuersi fuerunt Iudaei, dicta est, neq; dici potuit ciuitas iusti, siue iustitia, vt LXX. Ευφρανών τερον verterunt. Sola namq; ecclesia Christi est ciuitas iustitia propter Christum, qui factus est nobis, sicut Apostolus ait, iustitia, & sanctificatio, & redemptio, de quo solo scriptum est, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est. Rursus quod sequitur magis adhuc declarat de ecclesia esse hanc prophetiam, & cum iudicio, inquit, redimetur captiuitas eius, & cum misericordia; quia per gratiam & misericordiam suam voluit pro nobis mori Christus, vt moriendo pro nobis, nos, qui eramus ad mortem perpetuam iuste damnati, iuste redimeret, & non violenter & per vim, sicut idem propheta Esa. cap. 63. de hac etiã redemptione prophetans, Quis est iste, ait, qui venit de Edon tinctis vestibus de Borsia sic formosus in stola sua violenta cum fortitudine? ego qui loquor iustitiam, & iudicium salutaris, &c.

Quomodo propheta Esaiæ de iudicibus quos promittit praeficiendos, esse, non possit villo modo pertinere ad iudices, & duces populi Israelitici ex captiuitate Babylonica reuerfi.

Locus Duodecimus, 1. Timoth. 4. & Actor. 13. adde 1. Tim. 5. & Tit. 1.

Ne negligito donum, quod in te est, quod datum est tibi ad prophetandum cum impositione manuum presbyterij.

Cum ieiunassent & peccati essent, & imposuissent eis manus, dimiserunt eos.

Manus cito ne cui imposito: neq; communicato peccatis alienis. Reliqui te in Creta, vt quae reliqua sunt, corrigas, & constituas oppidatim presby-

Bb